

- 15 Is modo, quisquis erit, veniet te iudice tantum,
Me quoque sollicito arguet ore suo.

LIBER PRIOR INCIPIT.

PUER.

- Tu frondosa, senex vates, protectus opaca
Arbore iam tandem victrici palma potiris.
Ludis habens nivea circumdata tempora lauro,
Arguto tenui modularis carmine musa.
5 Nulla, senex, pateris proclivi naufraga mundi,
Nulla pericla times paternis tutus in arvis.
Nos egra variis agitati mente procellis
Fluctibus in mediis ferimur per naufraga ponti.
Litora nulla fuit mihimet spes certa videndi,
10 Non votis patriam neque pingua rura meorum.
Tu cane, tu vatis meruisti nomen habere
Mentitoque, senex, vocitaris nomine miles,
Depositis propriis veterascis victor in armis.
Magnus amor fesso fuerat contingere sedes
15 Davidicas, insigne caput nam cernere mundi.
Improba mens hominum! infelix ego sepe putavi
Hoc satis esse, semel si David forte vidissem,
Credideram post haec nil duri posse laboris
Sentire: illi etenim bene cognita inertia vestra est,
20 Audierat nostros heu duros sepe labores.
Ille etiam quondam blando mea munera vultu,
Ut memini, accipiens grates persolvit opimas,
Sepius et nostris gaudebat denique votis.
Prospicit alta nove Romae meus arce Palemon,

1 'u' L. 2 'potitis' L. 6 'pateriis' L.; 'armis' L., 'arvis' Ebert.
11 'uates' L. 13 'veteranis' L., 'veterascis' verb. Traube. 14 'fessos' L.
19 'nostra' L., 'vestra' verb. Traube. 22 'gratas' L.

15 Calp. Ecl. VI, 12 'te iudice pallidus alter | Venit'. 16 Ex P. IV, 9, 130 'sollicito . . ore'.

1 Karol. M. 90 'senes vates'. 1—2 Trist. III, 1, 40, Aen. VI, 136 'arbore opaca'. 3 Aen. VI, 665 'nivea cinguntur tempora vitta'; Met. XIII, 643 'niveis circumdata tempora vittis'; Aen. V, 539 'cingit viridanti tempora lauro'. 4 Ecl. VI, 8 'Agrestem tenui meditabor harundine musam'; Aen. VII, 14 'Arguto tenuis percurrere pectine telas'; Rem. 181, Met. XI, 154 'modulatur arundine carmen'; Ecl. X, 51. 7 Tr. IV, 3, 21 'mens aegra'. 8 Tr. V, 6, 7 (Aen. I, 109) 'Fluctibus in mediis'. 9 Met. IX, 534 'spes . . votorum certa'. 9—10 Aen. II, 137 'Nec mihi iam patriam antiquam spes ulla videndi | Nec dulces natos exoptatumque parentem'. 10 Iuvenci H. E. III, 461 'pingua rura'. 11 Met. X, 439 'Nomine mentito'. 14 Iuvenci H. E. I, 29 'contingere fessis'. 15 Riese Anthol. 580, 3 'insigne caput'. 18 Georg. II, 412 'Durus . . labor'. 20 Vgl. v. 18; Aen. VI, 437 'duros . . labores'. 22 Aen. I, 600 'grates persolvere dignas'. 24 Aen. IV, 410 'Prospiceres arce ex summa'; Fast. I, 197 'nova Roma fuit'.